



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Quotidie ei conscientiam aperit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

& simplicitatis, ac paupertatis voluntariæ studio
nonnunquam bonam librorum partem sacco in-
clusam in pauperes distribuendam vltro daret. paupertatis
amore libros
in pauperes
distribuit.

Nempe ex eo detrahens, quod sibi carissimum es-
set; cum tamen locupletis bibliothecæ amor sapi-
entia & cupido adolescenti, atque adeo in ea re cu-
riositas, & ostentatiuncula concedi nec sine laude
soleat. Vnde intelligere est quem in corporis cul-
tu, cæteraque vita se ferret.

Diligebat eo sensu, verebaturque magistrum, Miracaritas
in magistrū.
nihil vteo carius, nihil eius autoritate grauius ha-
beret. Eius consuetudine & familiarite contentus,
nullum præterea sodalium desiderabat vsum. A-
deo vnuis instar omnium erat. Non solùm per ar-
canam Sacramenti confessionem totum illi nu-
dabat animū, sed quotidie solitus exacti erat diei Quotidie ei
conscientiam
aperit.
rationē reddere. Quicquid cogitationem subiis-
set, si quid puerilium ineptiarum incidisset, quic-
quid quounque modo visus esset sibi dicto, fa-
ctoue deliquisse per ingenuam bonitatem expo-
nebat; ut magister nihilo minus interiorem men-
tis habitum, quam exteriorem corporis figuram
in conspectu habens, pro arbitratu componeret;
ac pœnam quoque prolapsionum, si visum esset,

C iniun-

iniungeret. Vbi licet admirari planè raram in pueris siue ingenuitatem, siue conscientiae custodientiae solertiam. Namque perfectæ virtutis magistri nihil ultra fermè requirunt, quam ut veræ sapientia studiosus secum ipse idem accusator, ac iudex exactum recognoscat, & in iudicium vocet diem. Sed Petrus nequaquam ea cura contentus, religi Tyronis instar cuncta Institutori candidè aperiebat, vltroque apud eum sui accusatorem agebat, ac paratum ad subeundam quamlibet pœnam offerebat, nullo retardatus, uti assolet illa ætas, vel pudore, vel metu. Videretur hæc pueri Canisij laus propemodum incredibilis, nisi ex eiusdem iam senis affirmatione, chirographoque constaret: cumque reliqua deinceps ætate tam aptè congrueret, ut altera alteri testimonio sit. Igitur ex cōspiratio ne illa seduli præceptoris, obedientisque discipuli factum est, ut quæ facillimè propter imbecillitatè consilij ætas deprauatur primis annis, in ea Petrus & innocētiā perpetuam custodiret, & cum ætatis futuræ, tum sanctitatis firmissima poneret fundamēta. Tanti interest pariter cum ingenij docilitate idoneos nancisci Doctores. Cuius magni meriti nunquam postea Canisius desiit summas

*Gratia Deo
do tradito si-
bi bono insti-
tuore. Quæ
& aliis pue-
ris prece-
bant.*